

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Pontani De Immanitate**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**[S.I.], 1519**

De mulierum immanitate circa foetus proprios

[urn:nbn:de:bsz:31-270824](#)

### De Immanitate.

Ihs illustrauit, mire taxat, & suis (quod ajunt) coloribus gra-

Brutij

phice depingit, Scholium Rhenanum.

Brutijs. Hos nunc Calabros vocant.

Catholici co-  
gnomen

Ferdinando Rege. Auo materno diui Regis nostri præ-  
fati Catholici cognomentum sortitus est, ob inductum ritum  
ueri cultus & Christianæ religionis in Pericæ partem, quam  
Granatam vocant, pulsis Mauris Machometiq; superstitione.  
Hispaniam quoq; exactis inde Iudeis omnibus, & ihs qui Iu-  
dæorum ritibus imbuti nominetenus Christiani, vulgo Mar-

Marrani

rani dicuntur, quorum magna vis erat, omni superstitione pur-

Cæs. Cali-  
gula

gula C. Cæsarem, Caligulam. Qui fax humani generis datus  
est, vnā ceruīcem populo Romano optabat, quo facilius uno  
ictu abscedi posset, vt infra dicetur.

M. Ricis

### De mulierum immanitate cir- ca foetus proprios.

**S**ed iam explicatis ihs: quæ in hoc versantur ge-  
nere: ad aliam siue partem siue speciem imma-  
nitatis transeamus: quæ ad mulieres spectare  
q; ad viros potius videtur. Nec vero mirum tibi  
sit Hieronymus: a patria nos confestim ad mulieres  
transire. nam quanq; qui in patriam: impotentia  
exercet suam: vim ciuib; infert vniuersis: ac ciui-  
libus legibus: Tamen nescio quomodo taciti ma-  
gis execramur eas: quæ sexu imbecilliore natura-  
tamen ipsam: legemq; ortus nostri naturalem im-  
petu tam monstrifico violent: atq; in partus suos  
tam impie debacchent ac prodigiose. Quod qui-  
dem execrationis genus maxime sacerdotes attin-  
git: quæ deo virginitatem cum uouerint: pollutis  
tamen votis: rituq; sacerdotali periuranter atq; in

Fol. XVI

ceste cōta minato: grauidæ factæ (ne scelus pareat)  
execrabiliori conantur scelere id ipsum prohibe-  
re accorrigere: dum aut medicaminibus adhibi-  
tis abortionem procurant: aut partum statim ipsū  
exanimant: terræq; aut cloacis clam infodiunt.  
Nec vero monstrosa hac feritate sacerdotes tantū:  
verum etiam viduae ac nubiles puellæ: splendidissimæq; etiam foedantur familiæ. Vir maxime no-  
tus: mihiq; perfamiliaris qdes cum emisset: emun-  
daretq; latinarum sordes: interq; emundandum  
accurredisset subitam ad exclamationem redempto-  
ris: operam eam facientis: animaduertit infantuli  
cadaverculum sordibus illis inuolutum: quod sta-  
tim inde exemptum iussit religioso in loco huma-  
ri. Compertas audio etiam vxores: quæ ut viros  
hoc iniuriarum genere insectarentur: aut illatas  
ab illis iniurias ulciscerentur hac potissimum ratio-  
ne: in lucem venientem prolem proprijs eliserint  
manibus. Dij immortales: quæ ferarum erit trucu-  
lentia cum hac comparanda? Nonsolum autem  
hoc execramenti genere mulieres contaminant  
ipsæ: verum etiam earum ipsarum amatores: qui  
& ipsi sceleris tam nefarij execrabilisq; aut conscij  
sunt: aut auctores: aut etiam administrati.

Abortum fa-  
cientia tra-  
dit Plinius  
in pluribus  
locis

De immanitate quæ versatus circa  
expositionem liberorum.

e iii